

licet ecclesiæ bono, pro nostri munera officio solliciti, illud imprimis curamus, ut Collegium Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, amplissimis viris resplendat, prout splendidissimi hujus Ordinis dignitas postulat.

Idcirco Te eumdem in Ordinem adscribendum censuimus, egregia enim pietas, doctrina, fidei catholicae studium, aliisque quibus enites, in exemplum ferendæ virtutes, Nos in spem adducunt, fore ut ministerium tuum Ecclesiæ Dei magno usui atque ornamento sit.

Ad Te igitur, Sanctæ Ramanæ Ecclesiæ Cardinalalem per Nos creatum sublimis hujuscemodi dignitatis unum ex insignibus, nimirum birretum purpureum per dilectum filium Henricum O'Bryen Cubicularium Nostrum supra numerum mittimus, ut Tu, postquam reverenter illo fueris insignitus, hujus splendidissimæ purpurae nota, in Cardinalitia dignitate Te esse constitutum intelligas, ideoque opus Te adversus pericula, pro Ecclesia Dei imperterritum invictumque manere usque ad pretiosam in conspectu Domini sanguinis effusionem. Quem vero ad te mittimus, tum ob rem ipsam, quæ mittitur, tum nostra causa, ut benigne excipias, omnibusque officiis prosequaris, summopere optamus. Volumus autem ut antequam birretum ipsum accipias, juramentum a dicto Henrico O'Bryen Tibi exhibendum, omnino prestare, illudque manu Tua subscriptum, ad Nos sive per eumdem sive per aliam personam mittere tenearis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII Junii M.D. C.C.C. L. X.X.X. VI. Pontificatus Nostri anno nono.

(Signat) M. CARD. LEDOCHOWSKI.

L. + S.